Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36571
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

e de loco primę sepulturę ad alteram sepulturam. et quomodo pippinum regem francorum in uilla amsiaco flagellauit.

xxvi. De miraculo ostenso per puluerem pauimenti ipsius. uidelicet sci Remigii epi ecclę.

xxvii. De miraculis ostensis in forestariis ludowici imperatoris.

xxviii. De miraculo ostenso in oratorio pagi niuernensis. et de uxore Ribiwini quam in luliaco iacentem percussit.

xxviiii. De secunda translatione beati remigii. et quomodo ipso die rado quidam clericus sit sanatus. Expliciunt cap. Incipit Vita Sci Remigii epi.

POST VINDICTAM SCELERUM QUE FACTA EST A DNO SEDE GALLIARUM persequente wandalorum crudelitate misericordiam celi distillauerunt dum ad mitigandam gentis francorum barbaricam ferocitatem superuentura diuine animaduersionis propter iniquitates persecutantes ultionem mundo presulem a deo predestinatum Remigium pontificem hoc ordine protulerunt. .I.

Erat quidam uenerabilis ac dignus professione et nomine Montanus monachus. in reclusione solitariam uitam ducens. ieiuniis. uigiliis. atque orationibus continue uacans. nec non ceterarum uirtutum insignibus adeo diuinitati se commendabilem reddens. ut angelicis sepius frueretur alloquiis. et celestibus frequenter uisionibus ac reuelationibus interesset. Is ergo cum peruigil in oratione pro pace sce ecclę que multis ac diuersis afflictionibus apud galliarum et belgicarum prouincias uexabatur dei omnipotentis clementiam indefessis precibus exoraret. nocte quadam plus solito oracione protelans. usque lucis crepusculum in contemplatione permansit. Qui cum lassitudine ac fragilitate carnis compellente paululum membra sopori dedisset. subito per diuinam gratiam angelorum choris et animarum cetibus beatissimorum hominum in spiritibus cum deo regnantium et inmortalitatem corporum adhuc expectantium interfuit. et familiarissimum cepit audire colloquium. Inter cetera que quasi in conuentu illo angelico audiuit. etiam illo sci spiritus humane salutis auidi. querimoniam ceperunt de gallicane deuotione ecclę. et quid facto ad talia opus esset crebro uersare sermone dicentes. quia